INDEX
LECTIONVM
IN
ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCCLXXXVII/VIII

AB DIE XVI M. OCTOBRIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABENDARVM.

VINDICIAS PLAVTINAS

FRIDERICVS LEO

PRAEMISIT.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010



Lectionum academicarum indici praefaturum movet recordatio Francisci Volcmari Fritzschii venerabilis collegae, qui ex quo tempore in locum professorium promotus est, id est inde ab adulescentia, neque ulli umquam officio defuit et hoc praefationis publicae munus peculiari quodam amore amplexus centum et quod excedit commentationibus docte et eloquenter perscriptis tam strenue administravit, ut in ipso mortis limine coactus demum deponeret. atque hanc in illo praeter ceteras virtutem suspicere solebamus et praedicare bonam fortunam, quod deficiente corporis vigore, cum nec oculis confidere neque auribus liceret, in forti fidelique quale vigentibus viribus agitaverat litterarum studio perseverabat. nimirum ingenii tantum et memoriae, quibus numquam non valebat, non oculorum auriumve ope indigebat, ut necessitudinis quae ei cum litteris graecis et romanis intercessit fructus perciperet. quid necessitudinem dico? partem sui effecerat Pindarum Aeschylum Aristophanem, in quibus vivebat, qui reviviscebant in illo. velut accidit paucis ante mortem mensibus ut inveniret eum amicus et medicus in lectulo reclinem, capite ut solebat operto, quasi obdormisset; sed appropinquantem sentiens signa dedit a studiis excitati et ‚in Euripide' inquit ‚occupatus sum; nunc ipsum Medeam tracto'. felicem studii et laboris eventum quo extremam senectutem propriis bonis exornans fortuitis malis liberavit. verum nobis ille repraesentavit antiqui moris philologum, quod genus iam dudum coepit rarescere. talem igitur viri memoriam ut fideli animo servabimus, sic primum quod post exitum eius vobis, commilitones, proponimus catalogi academici prooemium illius memoriae consecratum voluimus. itaque de Plauti comoediis electa quaedam et pauca proferemus tamquam ipsi tradamus commentatiunculam ex eo litterarum genere cui fructuosam operam identidem impenderit.

Adversa fata habuerunt nova verba quae Epidicum servolum Plautus fecit fingentem in cognominis fabulae actu tertio scaena secunda. nimirum iam nulla apparent, nisi forte unum aliquod cruci affixum. Camerarii nova verba explicant ut possunt et ipse et qui secuti sunt critici Plautini plerique; alii nova excogitant, lacunas indagant, urunt secant, nec defuit qui totum locum induceret. adscribam locum ut in editione sua posuit Goetzius (v. 349 sq.):

Stratippocles. *Nam quíd ita?* Ep. *Quia ego tuóm patrem faciám perenticídam.*
St. *Quid istúc est verbi?* Ep. *Níl moror vetera ét volgata vérba*
‚perátim ductare': hódie ego follítim ductitábo.

prodierat Epidicus gaudio elatus, cruminam in collo gerens quinquaginta minis plenam; rem indicat Stratippocli, attulisse se argenti plus quam opus sit: *dum tibi ego placcam atque obsequar, meum tergum flocci facio* (348). quaerenti de periculi causa Stratippocli quid

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

respondeat servus ut intellegatur, codicum memoriam reddam lectoribus; nam quemadmodum se torserint commentatores in explicanda lectione ad arbitrium demutata nihil attinet excutere.

St. *Nam quid ita?* Ep. *Quia ego tuum patrem faciam parenticidam.*
St. *Quid istuc est verbi?* Ep. *Nihil moror vetera et vulgata verba.*
peratum ductare at ego follitum ductitabo.

sic Vetus, nisi quod *ego* v. 349 corrector solito recentior addidit; sic octo fabularum libri, nisi quod *paratum* ignoto *peratum* eorum archetypus substituit. atque ultimo trium versuum mendum inhaerere apertum est; quod antequam tollatur, de novis verbis ac toto sententiae acumine videndum est. perversae certe rationis, ab illorum correctione proficiscentem manifesto vulneri quasi in transcursu mederi. tria igitur in versibus istis nova verba invenimus: *parenticidam, peratum, follitum.* quorum primum quod non satis novum visum est editoribus (quorum novissimus ‚hoc nomen per se mirandi causam nullam praebere' inter argumenta adfert), licet non nove fictum sit, fictum sane est et novum. quod si in Isidori orig. X, 225 legimus: *parricida proprie dicitur interfector parentis, quamvis quidam veteres hunc parenticidam dixerint,* veriloquium quidem saepe occurrit (cf. praeter alios Priscianus I p. 26, 9 *quibus lam tamen a parente videtur esse compositum et pro parenticida per syncopam et commutationem t in r factum parricida),* sed veterum loco, quos testatur et ille et glossa a Loewio adlata prodromi p. 407 *(parricida dicitur apud antiquos qui homines occidebat pares natura, parenticida qui parentes occidebat,* cf. graeca latina γονοκτονία *parenticidium* all.) Plautum ponemus in Epidico. atque ne quis putet, otiose poetam finxisse nomen, cuius significationis probum et vetustum in lingua extaret, verum potius est Romanos non habuisse nomen quo τὸν πατροκτόνον proprie denotarent. parricidium latioris significationis vocabulum subinde usurpatur de ‚parenticidio', sed fieri hoc vix potuit ante leges Corneliam et Pompeiam. qua de re et de aliis huc pertinentibus post aliorum et Osenbrueggii disputationes nuper copiose commentatus est Brunnenmeisterus (Das tödtungsverbrechen im altrömischen recht, Lipsiae 1887). Cicero certe, qui brevi tempore post legem Corneliam de sicariis Q. Roscium Amerinum contra crimen patris necati defendens identidem parricidam pro parentis interfectore posuit, paucis annis ante legem Pompeiam de parricidiis in oratione de domo sua (§ 26) *patricidam fratricidam sororicidam* nova verba quibus in adversarium suum inveheretur invenit. nec multo vetustiora vocabula *matricidium homicidium* (cf. Pompeius p. 306, 21 K.), recens *deicida,* ut πατρολέτωρ Antiphanis (A. P. XI, 348) cui suppetebat πατροκτόνος et πατροφόνος. constat igitur et Epidico, ut rem denotaret vocabulo uno, novo opus fuisse, et acumen sententiae ad ipsum parentis interfectorem pertinere. — *peratus* et *follitus* formata sunt ut *togatus* et *pellitus,* ut Plautus finxit *patibulatum, hostiatum, intestatum, viaticatum* (a quo sumpsit Sidonius p. 100, 22 L.); atque follem quidem novit Plautus, pro *pera* vel *peridio* posuit *marsuppium* Pers. 126 (parasitus quasi cynicus *marsuppium habeat, inibi paulum praesidi* etc., ut Diogenes πήραν ἐκομίσατο, ἔνθα αὐτῷ τὰ σιτία ἦν (Diog. VI, 22), ut ille ἐκ πηριδίου γνώμας τρώγων πανδελετείους); cf. Suid. πήρα, μάρσιππος et ἀσκοπήρα, τὸ μαρσίππιον.

Ergo patrem se facturum esse parenticidam Epidicus dicit. res ipsa risum movet, senex patricida. sed quid sibi velit nominis inventio, sequentia declarare debent. quod non fit, ut videmus fieri Curc. 31 et Ter. Phorm. II 2, 29 (paulo aliter comparatus locus Cist. II 3, 61, ubi *verbum* λόγος est, non ἔπος), ut scilicet propriis verbis fictum illud et obscurum inlustretur, sed novo verbo explicando alia nova adfert, quibus illius sensus sensim aperiatur; cf. Pseud. 607 sq. praemisso igitur *nihil moror vetera et volgata verba* ludere pergit: *peratum ductare at ego follitum ductitabo.* utut de *ductare at* statuetur, *ego follitum ductitabo* sententiam efficit.

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

parenticidam faciam, folle indutum ductabo: manifestum est agi de ‚parricidarum' poenis. item manifestum est, *ego* vel *at ego follitum ductitabo* Epidicum dicere postquam dixit quid alius aliive facturi essent, *follitum* igitur opponi *perato* parricidae, hoc solitum esse supplicii genus, illud Epidico proprium.

Caput eius obnubi qui parentem necavisset ex antiqua lege, cuius signum corruptum esse dolemus, adferunt ‚Aelius et Cincius' apud Festum p. 170 (cf. Schoellius de XII tab. p. 53 sq.). accuratius Cornif. I 23 *Malleolus iudicatus est matrem necasse. ei damnato statim folliculus in os et soleae ligneae in pedibus inductae sunt, in carcerem ductus est.* et inde re depicta curiosius Cicero de inv. II 149 circa legis Corneliae tempus: *quidam iudicatus est parentem occidisse et statim, quod effugiendi potestas non fuit, ligneae soleae in pedes inditae sunt: os autem obvolutum est folliculo et praeligatum; deinde est in carcerem deductus, ut ibi esset tantisper, dum culleus, in quem coniectus in profluentem deferretur, compararetur.* scilicet *insui voluerunt in culleum vivos atque in flumen deici* (pro Rosc. Am. 70), *insutus culleo — vel in vicinum mare vel in amnem proicietur* (inst. IV, 18, 6); atque *culei* vocabulum apparet ubicumque apud iureconsultos historicos philosophos rhetores rei mentio invenitur, nisi forte materia tantum involucri significata *corium* ponunt, quod facit Juvenalis 13, 155 *et deducendum corio bovis in mare* et Cornificii interpolator (l. s.) *et lex: qui parentem necasse iudicatus erit, ut is obvolutus et obligatus corio devehatur in profluentem.* cf. Isid. orig. V, 27, 36. nec ignotum est vocabulum Plauto nec res, licet sublesta sit Fulgenti fides hoc ex Vidularia adferentis (frg. 22, cf. Winteri frg. Pl. p. 62) *hunc iuvenem insui culleo atque deportari iussi annonam bonam piscibus;* nam clarum est quid spectet leno has minas meretrici intentans Pseud. 212: *si mihi non iam huc culleis oleum deportatum erit* (carm. de pond. 87 *hoc maior nulla est mensura liquoris), te ipsam culleo ego cras faciam ut deportere in pergulam.* acuminis igitur captandi causa *peram* et *follem* potius usurpavit et deductionem fortasse in carcerem potius quam deportationem in flumen spectavit. atque Graeci quidem ubi similium poenarum mentionem faciunt, ἀσκόν nuncupant (Dionys. arch. IV, 62 p. 84, 24 K. ὡς πατροκτόνον εἰς ἀσκὸν ἐνράψας βόειον ἔρριψεν εἰς τὸ πέλαγος) vel βύρσαν (Plutarch. de mul. virt. in Aretaphilae historia: — τὸν δὲ Λέανδρον ἐνράψαντες εἰς βύρσαν κατεπόντισαν, cf. Aelian. v. h. IV, 1, 8) vel ἀγγεῖον (Plut. Tib. 20 εἰς ἀγγεῖον καθείρξαντες — διέφθειραν), nomen commune scilicet, cf. Poll. X, 160 καὶ γρυμέα δὲ ἀγγεῖόν τι εἰς ἀπόθεσιν, ὃ ἔνιοι πήραν νομίζουσιν (B. A. p. 34 ἔστι δὲ παρ' Ἀθηναίοις πήρα τις γρυμέα καλουμένη). sed apte comparari potest Apollodori Carystii fragmentum quod Pollux eodem loco adfert (§ 161): ἐμβαλόντες, ὦ πονηρὲ σύ, εἰς σακκοπήραν αὐτὸν ἐπιθήσουσί που ἐφ' ὑποζύγιον, cui addi potest Diphilus Plautinus Rud. 547 *eadem illa credo quae meum marsuppium (voravit), quod plenum argenti fuit in sacciperio.* simili vocabulo ἀσκοπήρα, quod ex Aristophane et Diphilo Pollux adfert (X, 18, 160, ibidem ἀσκοθύλακος ex Aristophane, B. A. 452 ex Archippo et Diocle), in re simili uti videmus Neroniani temporis scurram apud Suetonium Neronis vitae c. 45: *alterius (statuae Neronis) collo ascopera deligata simulque titulus: ego quid potui? sed tu culleum meruisti.* hoc recte explicavit Politianus, qui corruptelam *ascopa* correxit. itaque demonstratum est potuisse pera indutum vocari parricidam qui ad poenam duceretur. sed quo apertior fiat causa electi vocabuli, iam memineri-mus quo habitu Epidicus in scaenam ex aedibus podierit. audi ipsum v. 360 *ipse in meo collo tuos pater cruminam collocavit.* inde sumpsit v. 345, nunc causas ingenio praebet marsuppium.

Quid igitur significat *ego follitum ductitabo?* nihil iuvat quem invenimus Rud. 721 *follem pugilatorium.* quod Aul. 300 *follem obstringit ob gulam* Gronovius cruminam intellexit, non recte fecisse videtur. sed ut pera potuit condendis nummis inservire, folles identidem

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

invenimus tali usui destinatos. in titulis ut CIL III 2240 cf. 743 *denarium folles* memorantur. Vegetius II 20 (pag. 54, 17 L.) de seposita militum pecunia loquens: *decem folles, id est decem sacci, per cohortes singulas ponebantur, in quibus haec ratio condebatur.* Juven. 13, 61 *si reddat veterem cum tota aerugine follem*, 14, 281 *tenso folle reverti.* atque huc facit glossa Isidori *culleus — tunica ex sparto in modum crumenae facta.* quod si dominum follitum ductitabit Epidicus, subaudimus totum, i. e. argentum omne folle conditum ablatum iri, ut saepe dominus pro re cum acumine ponitur, cf. Most. 12 *quem absentem comes.* simul augetur vis verbi: *ductare — ductitabo;* quod quam ambiguae sit notionis apparet: Cicero l. s. *deinde est in carcerem deductus*, Juvenalis *et deducendum corio bovis in mare;* contra Plautus *nihil moror ductarier* et similia multa. iam facile colon prius emendabitur. ‚ego patrem tuum faciam parenticidam; scilicet si esset parenticida, pera obvolutus ductaretur, ego folle indutum ductitabo'. verbi *ductare* ultima laborat a quantitate syllaba; ergo *at* augendo vocis ponderi adsumendum erit et restituendum:

peratum ductarent: ego follitum ductitabo.

Unum restat quod explicatione egeat. non graecae consuetudinis est supplicium illud, sed romanae; locum igitur Plautus addidit exemplari attico; addidit non ut iuris peritos quaesito ioco et obscuro oblectaret, sed ut re in vulgus nota vulgus gauderet. atque quamvis vetustae sit religionis poena, quod et Cicero et reliqui norunt, criminis nimis inhumani absentia poenam quoque e vita humana exclusisse videtur salvis scilicet populi Romani ingenio et moribus. primum a. u. 653 accidisse ut matris interfector Malleolus culleo puniretur Livius narrat (epit. 68), eodem spectat Cornificius l. s.; sed altera est narratio a Plutarcho servata in Romulo c. 22 οὐδεὶς γὰρ ἑόρασε τοιοῦτον οὐδὲν ἐν Ῥώμῃ σχεδὸν ἐτῶν ἑξακοσίων διαγενομένων, ἀλλὰ πρῶτος μετὰ τὸν Ἀννιβιακὸν πόλεμον ἱστορεῖται Λεύκιος Ὄστιος πατροκτόνος γενέσθαι. cuius narrationis fidem augeri Plauti loco observavit Brunnenmeisterus p. 189. ad ipsum illud factum spectare in Epidico poetam non inepta est coniectura. acta est Epidicus haud paucis annis ante Bacchides (v. 214) ante inimicitias ortas inter Plautum et Pellionem actorem, qui Stichum dederat a. 554. nota res de culleo anno Pseuduli, u. 563. sic paulo accuratius definitur Epidici tempus, quod quo propius ad ipsum Hostii facinus accedit, eo efficacior fit facinoris mentio.

Longiuscula disputatione si hoc effectum est, ut Plauto vindicentur propriae facetiae, factum est quod olim factum voluit Lambinus. cuius sententia, quam quibus modis refutare sibi visus sit Douza legitur adhuc in Taubmanni commentariis, plane intercidit in Gronoviano; sed propagatur, ut fit, per iureconsultorum libros. non primus igitur rem intellexit, quem primum putaveram, Hermannus Diels, qui nuper me monuit sermonem esse hoc loco de parricidarum poena. iam totum transcribam, ut quam sana sit librorum memoria uno obtutu appareat:

Str. *Quantum hic inest?* Ep. *Quantum sat est, et plus satis: superfit.*
decem minis plus attuli quam tu danistae debes.
dum tibi ego placeam atque obsequar, meum tergum flocci facio.
Str. *Nam quid ita?* Ep. *Quia ego tuom patrem faciam parenticidam.*
Str. *Quid istuc est verbi?* Ep. *Nihil moror vetera et volgata verba;*
peratum ductarent: ego follitum ductitabo.
nam leno omne argentum abstulit pro fidicina (ego resolvi,
manibus his dinumeravi) pater suam nátam quam esse crédit;
nunc iterum ut fallatur pater tibique auxilium apparetur
inveni: nam ita suasi seni c. q. s.

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

versuum 352 . 353 sententiam distinxi ut fecit Vahlenus in ind. lect. Berol. 1880 p. 15. nempe a se ipse descivisset Plautus, nisi de argumento tam intricato iterum iterumque spectatores monuisset. nuper qui rursus versum interpolatum dixit Langenus (stud. Plaut. p. 294), hoc propter metri scabritiem videtur fecisse, quam sane nondum invenio explicatam. ego qua ratione explicem, apicibus additis declaravi; quorum ratio ne obscura sit, unius comoediae, Bacchidum, hos excerpam versus simili condicione utentes; quorum a nullo, licet omnium sana sit sententia, editores manum abstinuimus:

90 *ille quidem hanc abdúcet : tu nullu' ádfueris, si nón lubet.*
142 *praeséntibu' illis paédagogu' una út siet.*
230 *mille ét ducentos Phílippos attulimu' aúreos.*
331 *sed dívesne est istíc Theotimu'? etiám rogas?*
401 *íustus iniustús, malignus lárgus, comi' incómmodus.*
724 *cúax nimis bellu' átque ut esse máxume optabám locus.*
797 *bene návi' agitatur, púlcre haec confertúr ratis.*
950 *[ín] dolis ego prénsus sum, ille mendícans paene invéntu' interiit.*
1069 *evénit ut ovans praéda onustu' incéderem.*
1211 *spéctatores, vós valere vólumu' et clare adplaudere.*

v. 401 *com in comodus* Veteris scriptura quantas turbas excitarit notum est. v. 211 cur non adsumpserim, quamvis non careat acumine *tanto hercle melior — Bacchis,* nec loci huius nec temporis est explicare; atque reliqua quoque quae probent rem quaeque contra adferri possint, quandoquidem copiosam sibi flagitant argumentationem, alii reservo occasioni, duo tantum nunc indicaturus: unum synaloephen eandem legitimam esse in verborum formis ut *fáteare. áge face,* cum inveniatur etiam *révereris, ét simul;* alterum non posse alia ratione explicari verbi substantivi personam secundam cum adiectivis et participiis coalescentem *probu's conatu's.* neque enim evanescere potest longa vocalis, ut exteritur *ĕ* in *probumst* (atque hoc verum est in Olseni disputatione) nec longa sic evadere syllaba: *sí quid acturú's, age;* hoc igitur est *acturu' es.* sic dies diem docet.

Sed redeo ad servulos Plautinos et quibus gaudent nova verba, alia scilicet duo similis generis vindicaturus. Poenuli versus 375 . 376 recto ordine positos praebet Ambrosianus; inde a 376 igitur haec dedit Goetzius:

Adelphasium. *Ápscede hinc sis, sycophanta pár ero.* Milphio. *At scin quómodo?*
iam hercle ego faciam plorantem illum, nisi te facio propitiam;
atque hic ne me verberetum faciat, nisi te propitio,
male formido: novi ego huius mores morosi malos.

quae sic leguntur in Vetere, nisi quod *verberetum* coniecturae debetur, *verberet illum* Palatinis et Ambrosiano. hoc quid sibi vellet obscurum erat nec potuit aliter antequam innotuerat ex Ambrosiano v. 377. mirum in illo *plorantem illum,* quod sine causa et ratione cum *hic ne me faciat* coniungitur; mira omnia quae de ploraturo leguntur Agorastocle. ecce Ambrosiani lectionem:

iam hercle ego faciam ploratillum, nisi te facio propitiam;
atque hic ne me verberetillum faciat, nisi te propitio,
male formido.

hoc igitur dicit: ἢν μή σ' ἱλάσωμαι, κλαυθμονὴν ποήσομαι. quae nequaquam graecanica est constructio: *nullus melius medicinam facit, revorsionem ad terram faciunt vesperi,* haec et talia Plautus. non abscedet igitur quin lacrimas effundat, sed non puellae tantum duritia

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010 7 of 16

expressas: scit se vapulaturum esse, κλαύσεται. atque *ploratillus* qua ratione formatum sit ex *ploratu*, facile apparet; *verberetillum* nullo artificio ad rationem redigetur grammaticam sive *verberatum* arcessis sive *verberetum*, sed ad analogiam ploratilli alterum quoque vocabulum deminutivum comice formatum est et derivatum a verberibus. exempla deminutivorum non ad regulam formatorum nihil attinet congerere: simile vel par nullum invenietur; similiter *Coriendrus* post *Cylindrum* a *corio* deductus (Men. 293). constat autem *verberetillum* substantivum esse, non adiectivum, siquidem ad *ploratillum* pertinet, non ad *propitiam*. ergo *ne me verberetillum faciat* (atque *me ne* pro *ne me* in Palatinis legitur) non videtur omni ex parte sanum esse; quamquam *me* potest pro *mei* i. e. *mihi* positum esse; sed probabilius est hanc fuisse sententiae formam: *atque hic ne [in] me verberetillum faciat — male formido.*

A verbis novis ad structuram aliquam transitum facere licet quae in eadem fabula invenitur non novam quidem, sed inauditam novis editoribus. nempe iam evanuisse videtur ex Poenuli loco 640 sq. haec sententiae conformatio:

Leno. *Si quid boni adportatis, habeo gratiam.*
Advocati. *Boni de nostro tibi nec ferimus nec damus*
neque pollicemur neque adeo volumus datum.

quae tradita quidem est et in Ambrosiano et in Palatinis codicibus, nisi quod hi v. 641 *tibi* post *damus* nescio quo errore repetunt; nam quod *bono de nostri* in *B* primo exaratum erat hoc ipse librarius correxit. Hadriani igitur aetate non offenderunt grammatici in tali verborum structura, quam ut removerent Bothius (qui primus soloecam esse dixit) Kochius Ussingius *bonum* correxerunt, Muellerus *nihil* inseruit, subtilius Ritschelius, quem Goetzius et Loewius secuti sunt, sermonem laevigavit scribens: *de nostro tibi nec ferimus quicquam nec damus.* contra traditam scripturam adlatum nihil video; ad sensum critici exegerunt codicum memoriam, non ad usum; ‚*boni* edd., quasi omitti possit *aliquid*', sic Ussingius. sed omittere potuit in his versibus Venantius poetarum scilicet extremus: VI, 5, 167 *mitte avidae matri vel per vaga flabra salutem: si venit, ipsa mihi nuntiet aura boni* et append. 4, 5 *sollicitis oculis volitantia flabra recurro, quando vel unde tui nuntiet aura boni.* non soloecam esse constructionem, sed ex vulgi ore sumptam linguarum Romanicarum genetivus partitivus docet; ut non necesse sit graecissantem fingere poetam. nam Graecis legitimum est χαριζομένη παρεόντων vel adeo καὶ ἐπιμιγνύναι σφῶν τε πρὸς ἐκείνους καὶ ἐκείνων πρὸς ἑαυτούς (Xen. anab. III 5, 16). tamen locum unum et singularem non satis firmari dices aut hominis Gelesuinthae reginae parentantis versibus aut usu vulgari ratiocinando quem agnoscas. nec protulissem ista, nisi Plauti locus esset plane consimilis isti in Mostellaria v. 1016 sq.:

Simo. *quid autem?* Theopropides. *Quod me absente hic tecum filius*
negoti gessit. S. *Mecum ut ille hic gesserit,*
dum tu hinc abes, negoti? quidnam aut quo die?

quem locum aut supplendo aut interpungendi artificio item atque illum editores corruperunt. hic ut supra genetivus quem cum pronomine coniunctum altera persona pronuntiaverat, ab altera pronomine omisso ita repetitur ut fulcrum nullum accedat. lenissima igitur est et mitigata quodammodo genetivi partitivi absoluti species, quam sive initium dixeris usus sero in linguam sese insinuantis sive specimen usitatae in vulgari sermone orationis (ad quam pertinet *rerum credere, impertire*), satis graves ad genetivi latini historiam cognoscendam locos libenter Plauto mecum vindicabis.

Mostellariae versum 250 nuper tutatus est Ribbeckius in Woelfflini archivio II p. 122; speculum flagitaverat Philematium, respondet Scapha: *quid opust speculo tibi, quae tute speculo speculum es maxumum?* ad Men. 1062 provocavit Ribbeckius; addere potuit locutionem esse

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

qualem A. P. V 143 in Meleagri epigrammate: ὁ στέφανος περὶ κρατὶ μαραίνεται Ἡλιοδώρας· αὐτὴ δ' ἐκλάμπει τοῦ στεφάνου στέφανος. sed propter Philematii responsum hunc locum tetigi, quod iam omnes editiones mutatum ferunt, recte scriptum tradunt codices (nam fallax est Noni testimonium), modo recte distinguas:

suó quique loco (víden?) capillus sátis compositust cómmode.

scilicet speculum accepit puella et capillum commode compositum esse ipsa iam vidit; deinde Scapha: *ubi tu commoda es, capillum commodum esse credito* recte etiam tenente speculum Philematic. sed editores demum v. 265 Scapham faciunt dicentem *cape igitur speculum:* quae verba in Vetere Philematio tribuuntur, speculum reddenti dumtaxat. neque enim intellegi potest cur v. 265 Scapha erae speculum tradat, postquam omisso dudum speculo illa cerussam et purpurissam flagitavit; pigmenta autem sine speculo nihil profutura erant, item speculum iam inutile sine pigmentis quae negavit se daturam Scapha, argumenta nimirum adferens ad persuadendum apposita. ergo persuasum sibi esse puella significans speculum reddit: *cape igitur speculum*, sed antequam reddat facere non potest quin faciem speculo impingat. quare Philolaches exclamat: *ei mihi misero, savium speculo dedit.* atque quod Scapha statim sic pergit: *linteum cape atque exterge tibi manus* et quaerenti erae: *quid ita obsecro?* respondet: *ut speculum tenuisti, metuo ne oleant argentum manus,* haec aperte docent, nunc ipsum non accepisse speculum puellam, sed reddidisse.

In eiusdem scaenae initio Scapham erae sic blandientem: *ita tu me ames, ita Philolaches tuus te amet, ut venusta es,* irato sermone excipit amator v. 183: *quid aís scelesta? quómodo adiurásti? ita ego istam amárem? | quid? ;ita haéc me' id cur non ádditumst? infécta dona fácio.* sic cum Ritschelio editores omnes ex coniectura Lambini. codices *ista haec me.* atque sciendum est, quod correctum est in Vetere quodque voluit Gruterus *istaec me* id non coniecturae deberi, sed ipsi codicum memoriae. *ista haec* ab *istaec, illa haec* ab *illaec* non re diversa sunt, sed certo quodam tempore, quod non videtur Carolinis imperatoribus vetustius esse, scribendi genus veriloquio hodieque grammaticis quibusdam probato adaptatum (cf. Prisc. I p. 859, 13 et inde art. Bern. in anecd. Helv. p. 140, 32) invaluit, quod regnat e. g. per Claudiani Mamerti (cf. Engelbrechtus in actis acad. Vindob. 1885 p. 530) et Apollinaris Sidoni codices praeter unum genuinae lectionis testem; qua de re locuti sumus in praefatione Sidoni Luetjohanniani p. XXXIV; invenitur scribendi genus in fabulis Plauti nonnullis, ut in ipsius Mostellariae v. 380 *ego qui ista ha(e)c sedem meditabor tibi* 395 *ista ha(e)c blanda dicta* 519 *quicum ista ha(e)c loquere* 961 *quis ista ha(e)c faciebat,* regnat in Milite: v. 31 *(B)* 45 *(B).* 195. 308 *(illac haec* pro *illaec?* cf. Ritschelius nov. exc. p. 68). 361 *(illa hec B).* 492 (item). 516 *(B).* 536. 622 *(B).* 832 *(ille hic).* 1002 *(istaec A,* cf. Ribb.). 1031 *(illa haec CD, haec B:* fuit igitur in Palatinorum archetypo). 1122 *(illa haec B).* 1126 *(illa haec qu(a)e CD, illa haeque B:* cf. ad 1031); cf. 1045. 1046. haec praemisi, ut eiusdem fabulae versum 878 facili opera non emendarem, sed scripturam codicum explicatam proponerem lectoribus. Periplecomenus senex cum meretricibus duabus, quarum opera adversus militem usurus est, in scaenam procedit easque interrogat satisne intellexerint quae de fallaciis instituendis domi demonstraverit. tum Acroteleutium, si Ritschelium audimus (v. 878):

stultítia atque inipiéntia insúlsitasque hercle haec sit,
me ire in opus alienum aut tibi meam operam pollicitari,
si in ea opificina nesciam aut mala esse aut fraudulenta.

si Ribbeckium:

stultitia atque insipientia atque insulsa malitia haec sit,

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

si Buggium et Ussingium:

stultitia atque insipientia mecastor maxuma haec sit,

si Brixium:

stultitia atque insipientia mea quidem sententia haec sit.

quae omnia satis audacter substituta sunt isti codicum corruptelae: *stultitia atque insipientiā falsta h(a)esit,* in qua consentiunt nisi quod *B* pro *falsta* praebet *falsa:* atque *falsa* quod aliquid significare videtur, *falsta* nihil significat, valet hoc contra Veteris auctoritatem, cuius librarius eius generis correctiunculas saepissime sibi permisit et in hac potissimum fabula, cf. in sequentibus 947 *(voluptas)* 1116 *(conservo)* 1142 *(denunciavit* pro *deruncinavit)* 1270 *(metuendus est B, metuere henda st CD,* quod unde venerit *A* docet) 1335 *(fer ad macellum)* 1405 *(decoratus).* hoc igitur inspicias: INSIPIENTIAMFALSTAHAESIT, ac videbis sic potius exarandas fuisse litteras istas: *insipientia mea ista hae sit,* i. e. *insipientia mea istaec sit;* ut *illa hae* pro *illa haec* etiam v. 1122 scriptum esse vidimus; ut *eabri* pro *fabri* in *CD* v. 919 conspicitur, ut *fecissē ultra* pro *fecisse multa* v. 1285, ut *allo* pro *alio* v. 1291 in Vetere. species igitur enuntiationis eadem est quae e. g. Bacch. v. 97 *nam id flagitium meum sit, mea te gratia | ét operam dare mi et ad eam operam facere sumptum de tuo,* quem locum quod olim corrupi, consimilis restitutione erroris culpam redemisse videar. iam apparet versum in fine mutilum esse; nec obscurum est quid desit. nam Periplecomenus senex puellas in primo sermone nominatim compellaverat: *rem omnem tibi, Acroteleutium, tibique una, Milphidippa, domi demonstravi in ordine.* atque par est in tali colloquio incipiente vicem reddi appellationis. commode autem versiculus expletur nomine *Periplecomene.* nisi forte aptior est appellatio honorifica qua utitur v. 915, ut hic versus evadat:

stultítia atque insipiéntia mea istaéc sit, [mi patróne].

ad idem corruptelae genus fortasse pertinet Most. 626 *ést huic debet Philolaches | paulum.* ubi alia quidem temptaverunt, sed deleto antea *est;* erat fortasse *istic;* quamquam non puto non decere sermonem Plautinum, ut acriter inquirenti seni *(id volo mihi dici, id me scire expeto, quod illud argentumst),* quasi haesitans primum ἐν ἤθει sic subito morem gerat servulus: *est — huic debet Philolaches paulum.* qualis haesitatio etiam aliis locis obscuratur; ut in re simili (nam Bacchis quoque fallaciter simulat) nunc mihi constat Bacch. 43 recte tradi in codicibus:

haéc ita me orat, sibi qui caveat aliquem ut hominem reperiam,
ut istunc militem — ut, ubi emeritum sibi sit, se revehat domum.

Quod sollemni aliquo corruptionis genere observato pristinam codicum memoriam vindicavimus, idem saepe fieri posse notum est. insigne addam exemplum ex Mostellariae scaena eadem cuius duo locos tractavimus. atque finem quidem diverbio imponunt ista Philolachetis verba ut leguntur in libris (310):

séd estne hic méus sodalis qui huc incedit cum amica sua?
ís est: Callidamatés cum amica cum incédit. euge, oculús meus,
conveniunt manuplares eccos, praedam participes petunt.

omnia sana sunt et bona (nam qui contendit bis Plautum non scripsisse *incedit cum amica* contendit quod obtinere non potest), nisi quod *cum* alterum superfluum esse apparet. iam Veteris corrector, deinde editor princeps et quicumque secuti sunt *eccum* pro *cum* posuerunt et fulciendae coniecturae gratia vel hunc versum vel hunc cum antecedente in alia omnia abeuntes perturbarunt. sed nihil frequentius est in Palatinorum archetypo quam vocabuli alicuius post sequens repetitio, ut in Mostellaria v. 235 *quidem absumpta quidem,* 350 *est*

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

stabulum est (B), 529 *ut (t)ibi hodie ut,* 1081 *tu nunc tu (B),* cf. 1177. Mil. 745 *(rem remigio rem* Palatini, *remigio rem* Ambrosianus), Bacch. 99 *(dare nolo dare B),* 198 *(mavelle colere mavellem B)* et alia multa.

Unum restat cuius nos admoneat Militis locus quem tractavimus, scilicet versus mancos non ita supplendos esse ut supplementi gratia primum ea quae librarii servaverint ex coniectura inmutentur. memorabile exemplum praebet Epidici locus 551 sq. agnoscunt sese Periphanes et Philippa veteres amantes. quaerit ille: *ubi te visitavi?* respondet: *inique iniuriu's.* quaerenti: *quid iam?* illa: *quia tuaé memoriae interpretari me aequom censes.* vir argutam orationem admiratus: *commode fabulata es,* mulier quae per totam scaenam argutatur (ut promiserat in fine cantici anapaestici v. 546 *muliebris adhibenda mihi malitia nunc est): mira memoras.* sed quae secuntur obscurata sunt paucarum litterarum iactura. sic fere Palatini v. 553:

fabulata es. MVL. *mira memoras.* Per. *hem istuc rectius.*

sic *A:*

fabula[ta es mir]a m[emo]ras # *N..... [em i]stu[c recti]us.*

in *A* igitur extabat quod intercidit in Palatinis, sed non erat *quid nunc.* quid fuerit sequens versus docet. qui in Palatinis fere hic est:

meministin? MVL. *memini id.* SEN. *in Epidauro.* MVL. *ah guttula* e. q. s.

hic in Ambrosiano:

meministein? # *id memini* # *Q..... N.Uepidauro | ha guttula*

sequitur in utrisque:

pectus ardens mihi aspersisti. Per. *Virgini pauperculae*
tuaeque matri me levare paupertatem? Phil. *Tun is es?* e. q. s.

atque in supplendo versu 554 inceperunt a mutando pronomine *id* quod testium consensu traditur. quod si non statim intellegitur pronomen, ab hac difficultate proficiscendum est ut sententia intellegatur. *id memini* nihil significare potest in ore mulieris facete argutantis nisi ‚id quod dixisti', scilicet *meministi?* quod videlicet iterum dixit. sic igitur ista procedunt:

Per. *Commode*
fábulata es. Phil. *Míra memoras.* Per. *M[éministi?* Phil.] *Em istuc réctius.*
Per. *Méministin?* Phil. *Id mémini.* Per. *Q[uid? amante]m [i]n Epidauro* — Phil. *Ah gúttula*
pectus ardens mi aspersisti. Per. *Virgini pauperculae*
tuaeque matri me levare paupertatem? Phil. *Tun is es?*

em istuc rectius Philippa dicit, quoniam tandem ad rem ipsam se perventurum esse senex indicavit. impatientius deinde excipit iteratam interrogationem. versus 554 supplementum non certum est, quandoquidem *U* littera ante *Epidauro* si est in Ambrosiano corrupta est, nisi forte *indu* scriptum fuisse opineris.

Subiungam nonnulla lacunularum supplementa, quibus defendendis verbum non impendam, cum accurate considerantibus persuasum habeam rem verbo potiorem fore. Mil. 1395:

fácite inter terram atque caelum ut sit [situs]: discindite.

Merc. 899 sq.:

Char. *Nón curo istunc: de ílla quaero.* Eut. *De ílla ergo ego dicó tibi.*
sane hoc non in mentem venit dudum ut ubi [sit dicerem].
Char. *Dic igitur ubi illast?* Eut. *In nostris aedibus.* Char. *Aedis probas.*

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

Most. 622 sq.:

Tran. *Audin? videturne, obsecro hercle, idoneus,*
danista qui sit, genus quod improbissumumst?
Theopr. *Non ego istunc curo qui sit [quid sit] unde sit.*

ibid. 553 sq.:

Tr. *Etiam fatetur de hospite?* Theopr. *immo pernegat.*
Tr. *Negat [scelestus?* Theopr. *Negitat in]quam.* Tr. *Cogita:*
[Non confitetur? Theopr.] *Dicam si confessus sit.*

ibid. 515 sq.:

Intus. *Heus Tranio.* *Tr. Non me appellabis, si sapis.*
nihil ego commerui, neque istas percussi fores.
Intus. *Quaeso [—* Tr. *Cave verbum faxis.* Theopr. *Dic] quid segreges*
[sermonem. Tr. *Apage hinc te.* Th. *Quae r]es te agitat, Tranio?*

Hic subsistam, quandoquidem in commentariolo isto non nova et quaesita, sed vetera et tradita vindicare institui.

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

Dr. Ioannes Bachmann, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim librum Geneseos explicabit quinquies p. h. hora XII—I; 2) privatim Iesaiae partem alteram interpretabitur die Iovis, Martis, Veneris hora XI—XII; 3) privatissime sed gratis in conversatorio exegetico Michae librum explicandum proponet die Mercurii hh. VI—VIII vesp.; 4) publice homileticas in Seminario exercitationes moderabitur die Lunae hh. VI—VIII vesp.

Dr. Augustus Guilelmus Dieckhoff, P. P. O., 1) privatim historiae ecclesiasticae partem tertiam quinquies h. IX; 2) privatim historiam dogmatum quinquies h. X tradet et 3) publice exercitationes catecheticas in Seminario die Saturni h. XI et XII moderabitur.

Dr. Ludovicus Schulze, P. P. O., 1) privatim theologiam biblicam veteris et novi Testamenti quinquies p. h. h. VIII—IX tractabit; 2) privatim theologiam ethicam quinquies p. h. h. IX—X docebit; 3) publice de Iohannis apostoli vita, scriptis doctrina die Iovis h. V—VII disseret.

Dr. Carolus Fridericus Noesgen, P. P. O., 1) privatim epistulam ad Hebraeos die Lunae, Martis, Mercurii hor. III—IV explicabit; 2) privatim interpretationem pericoparum epistolicarum ab ecclesia electarum practicam die Iovis et Veneris hor. III—IV, die Lunae hor. XI—XII instituet; 3) privatim isagogen in Novum Testamentum quinquies p. h. h. IV—V tradet.

In ordine iuridico.

Dr. Franciscus Bernhoeft, P. P. O., h. t. Decanus, 1) pandectarum partem primam (regulas generales et iura in re) tractabit senis p. h. h. h. c.; 2) pandectarum partem tertiam (ius familiare et hereditarium) docebit ternis p. h. h. h. c.; 3) conversatorium offert de pandectarum parte prima ternis p. h. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii h. IX—X; 4) exercitationes exegeticas instituet singulis p. h. h. c.

Dr. Victor Ehrenberg, P. P. O., 1) ius privatum Germanicum cum iure feudali communi quinquies p. h. docebit h. XI—XII; 2) ius privatum Mecklenburgicum nec non ius feudorum quinquies p. h. tradet h. XII—I.

Dr. Bernhardus Matthiass, P. P. O., 1) historiam et institutiones iuris Romani docebit octonis p. h. scholis diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis hora XI—I; 2) pandectarum materiam obligationum quater p. h. die Martis et Iovis h. h. IV—VI tractabit; 3) conversatorio de pandectarum tertia parte (de iure familiae et hereditatum) ternis p. h. scholis diebus Iovis, Veneris, Saturni h. IX—X praeerit; 4) exercitationes in iure civili practicas instituet semel p. h. die Saturni h. X—XI.

Dr. Hugo Sachsse, P. P. O., 1) ius ecclesiasticum docebit senis p. hebd. scholis diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. IV—VI; 2) introductionem in Corpus Iuris Canonici enarrabit et selecta capita explicanda proponet studiosis iuris et theologiae semel p. hebd. hh. cc. vesp.; 3) exercitationes in iure canonico instituet semel p. hebd. hh. cc. vesp.

Dr. Augustus de Kries, P. P. O., 1) theoriam processus civilis docebit senis p. h. scholis hh. cc.; 2) theoriam processus criminalis quinquies p. h. docebit hh. cc.; 3) exercitationes in iure criminali instituet semel p. h hh. cc.

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

In ordine medico.

Dr. Theodorus Thierfelder, P. P. O., h. t. Decanus, 1) publice pathologiam et therapiam pulmonum docebit die Lunae h. VI; 2) de aegrotis policlinicis disseret die Mercurii h. X et dim.; 3) exercitationes practicas in clinico medico moderabitur diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris, Saturni h. X et dim.

Dr. Hermannus Rudolphus Aubert, P. P. O., 1) publice encyclopaediam et methodologiam scientiae medicae diebus Lunae et Iovis h. III—IV; 2) privatim physiologiae partem alteram (functiones animales) cotidie hora IX—X tradet; 3) privatim generationis et evolutionis historiam exponet diebus Mercurii et Saturni hora III—IV; 4) privatissime moderabitur exercitationes physiologicas bis per hebdomadem ternis horis.

Dr. Guilelmus de Zehender, P. P. O., 1) ophthalmologiam ternis p. h. horis XII—I docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. XII—I et dim; 3) exercitationes ophthalmoscopicas h. definiendis moderabitur.

Dr. Fridericus Schatz, P. P. O., 1) in clinico gynaecologico exercitationes practicas quater p. h. moderabitur hora VIII, 2) de aegrotis et partubus policlinicis disseret bis p. h. hora VIII; 3) mulierum morbos ter p. h. hora III; 4) medicinam forensem ternis horis p. h. docebit; 5) aegrotas policlinicas demonstrabit hora II cotidie privatissime.

Dr. Albertus Thierfelder, P. P. O., 1) anatomiam pathologicam specialem cotidie h. VIII docebit; 2) cursum et anatomiae et histologiae pathologicae habebit additis demonstrationibus et exercitationibus cadavera rite dissecandi diebus Lunae, Mercurii, Veneris hora XII—I et dim.; 3) exercitationum studia inquisitionibus microscopicis et experimentis pathologicis dicata cotidie moderabitur.

Dr. Otto Nasse, P. P. O., 1) chemiam physiologicam et pathologicam docebit diebus Martis, Iovis, Saturni h. XII—I; 2) pharmacologiam diebus Lunae et Martis h. IV—VI it tractab; 3) exercitationes chemicas et ex physiologia et ex pathologia in laboratorio cotidie moderabitur h. IX—VI.

Dr. Otto Guilelmus Madelung, P. P. O., 1) publice orthopaediam semel die Lunae, h. V—VI. tractabit; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico moderabitur cotidie h. IX—X et dim.

Dr. Albertus de Brunn, P. P. O., 1) privatim osteologiam et syndesmologiam tradet diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. III; 2) privatim anatomiae systematicae partem primam docebit cotidie h. XII; 3) privatissime exercitationes anatomicas cotidie hora VIII—I moderabitur; 4) privatissime histologiam specialem organ. corp. hum. nec non exercitationes practicas tractabit quater per hebdomadem.

Dr. Iulius Uffelmann, P. P. E., 1) hygienicam diebus Martis, Iovis, Veneris h. IV—V; disciplinam diaeteticam diebus Lunae et Mercurii h. IV—V; 3) infantium morbos diebus Martis, Iovis, Veneris h. V—VI tractabit; 4) exercitationes hygienicas practicas diebus Martis, Iovis, Veneris h. X—XII moderabitur.

Dr. Theodorus Gies, P. P. E., 1) exercitationes practicas diagnoseos et therapiae chirurgicae diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. XII–I; 2) cursum alligandi die Martis h. IV—V; 3) fracturas et luxationes diebus Lunae, Mercurii h. IV—V tractabit.

Dr. Christianus Lemcke, 1) publice morbos, qui ad organa auditus spectant, bis per hebdomadem horis definiendis docebit; 2) privatim de aegrotis ambulatoriis ex larynge auditusque organis laborantibus disseret additis exercitationibus practicis laryngem et organa auditus rite inquirendi diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. IV—V.

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

In ordine philosophico.

Dr. Fridericus Guilelmus Schirrmacher, P. P. O., 1) privatim historiam medii aevi usque ad exitum generis Staufici enarrabit quinis diebus h. XII; 2) privatim historiam rei publicae Romanae ab anno 133 ante Chr. nat. usque ad annum 14 post Chr. n. binis diebus h. XI; 3) publice exercitationibus historicis methodum historiae et disciplinas subsidiarias tradet.

Dr. Henricus de Stein, P. P. O., 1) historiam Ethices ter per hebd. diebus Mercurii, Iovis, Veneris hora III—IV; 2) historiam philosophiae antiquae quater per hebd. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Veneris hora IV—V; 3) religionis philosophiam ter per hebd. diebus Lunae, Martis, Mercurii hora V—VI.

Dr. Reinholdus Bechstein, P. P. O., 1) privatim linguam veterem Germaniae inferioris docebit simulque poema „Heliand" interpretabitur diebus Martis, Iovis, Veneris hora IX; 2) privatim historiam litterarum Provincialium tradet diebus Martis et Veneris hora X; 3) privatissime cum sodalibus exercitationes instituet de Germanorum arte poetica et eorum historia litteraria diebus Lunae et Martis hora III; 4) exercitationes seminarii germanici moderari perget, quibus „Frauendienst" poema Ulrici ab Lichtenstein tractabitur, diebus Mercurii et Saturni horis IX—XI.

Dr. Oscarus Jacobsen, P. P. O., privatim 1) chemiam organicam quinquies p. hebd. docebit h. X; 2) exercitationes experimentales in laboratorio chemico quinquies per hebd. moderabitur; 3) publice de praeparatis chemicis officinarum bis per hebd. disseret.

Dr. Ludovicus Matthiessen, P. P. O., privatim 1) physices experimentalis partem alteram docebit quinquies per hebd. hora V; 2) dioptricam systematis ex superficiebus sphaericis centratis compositi tractabit bis p. h.; 3) exercitationes physices practicae quaternis per hebdomadem diebus instituet hora III—VI, publice; 4) exercitationes seminarii physicalis moderari perget die Saturni horis X et XI.

Dr. Martinus Krause, P. P. O., 1) privatim geometriam analyticam spatii tractabit diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris hora XII—I; 2) privatim algebram superiorem docebit eisdem diebus hora XI—XII; 3) privatim introductionem in theoriam functionum ellipticarum modularium tradet die Mercurii hora XI—I; 4) publice exercitationes seminarii mathematici moderabitur h. d.

Dr. Fridericus Philippi, P. P. O., 1) privatim grammaticam linguae hebraicae ter p. h. docebit; 2) privatim grammaticam linguae arabicae non sine interpretandi exercitationibus bis p. h. tradet; 3) privatim explicationem chaldaicarum V. T. partium continuabit et selecta prophetarum Targumim capita bis p. h. interpretabitur; 4) privatim grammaticam linguae sanscriticae praecipua linguarum et graecae et latinae ratione habita bis p. h. tradet; 5) privatim selectos linguae arabicae textus semel interpretari perget.

Dr. Eugenius Geinitz, P. P. O., 1) privatim mineralogiae elementa docebit sexies p. h.; 2) privatim petrographiam tractabit ter p. h; 3) privatim chemicam geologiam leget bis p. h.; 4) privatim exercitationibus geologicis praeerit quater p. h.

Dr. Gustavus Körte, P. P. O., 1) artium monumenta quae ad cyclum Troicum spectant enarrabit quaternis scholis; 2) de arce Athenarum disseret secundum Pausaniae descriptionem ab Ottone Iahn in usum scholarum editam nuper ab Adolfo Michaelis recognitam binis scholis; 3) exercitationes archaeologicas moderari perget semel p. hebd. binis scholis, privatissime sed gratis.

Dr. Fridericus Leo, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim de initiis et fundamentis syntaxis latinae aget quater h. X; 2) monumenta vetustiora linguarum Italicarum tractabit bis; 3) publice seminarii philologici sodalibus interpretanda proponet libellum de sublimitate et appendicem Vergilianam ac disputationibus eorum praeerit, diebus Lunae Iovis h. VI. VII. IV.

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

Dr. Guilelmus Stieda, P. P. O., 1) privatim de reditibus publicis disseret diebus Martis, Mercurii, Iovis, Veneris h. III; 2) artis statisticae partes historicam theoreticam practicam tractabit diebus Mercurii, Iovis, Veneris h. VIII; 3) exercitationes oeconomicas et statisticas moderabitur die Lunae, h. V.

Dr. Maximilianus Braun, P. P. O., 1) privatim capita selecta ex animalium vita et natura tractabit quater; 2) de hominum parasitis animalibus aget bis; 3) exercitationes zootomicas habebit sexies; 4) privatissime et gratis res zoologicas tractandi rationem monstrabit.

Dr. Paulus Falkenberg, P. P. O.; 1) plantarum angiospermarum systema Martis et Iovis diebus tradet h. V—VI; 2) de plantis archegoniatis et gymnospermis diebus Lunae Martis et Veneris disseret h. V—VI; 3) exercitationes microscopicas moderabitur bis per hebd. XI—I tironum, provectiorum cotidianas IX—III.

Dr. Reinholdus Heinrich, P. P. E., privatim physiologiam agrariam chemicam quinquies p. h. docebit.

Dr. Iulius Robert, 1) quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) historiam litterarum francogallicarum docebit quater p. h.; 3) de variationibus linguae gallicae a saeculo XII factis disseret quater p. h.

Dr. Felix Lindner, 1) privatim bis p. h. Thackerays Lectures on the English Humourists of the 18. century ed. Ernst Regel Halle 1885/6 interpretabitur; 2) gratis semel p. h. La Chanson de Roland ed. L. Clédat, Paris, Garnier Frères, 1886, enarrabit.

Dr. Fridericus Oltmanns, bacteriaceas binis p. h. horis docebit.

Dr. Paulus Mönnich, 1) de vi electrica dynamica disseret bis p. h. horis definiendis; 2) exercitationes artis practicae vim electricam metiendi ter p. h. instituet horis definiendis.

Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis, **conclave secretarii** officiis destinatum cotidie h. X—XI patebit, **musea** autem suo quodque tempore commilitonibus aliisque aperientur, geologicum itemque mineralogicum Megalopolitanum cotidie h. XI—XII, zoologicum item cotidie patebit adituris arcessito instituti geologici ministro. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi facultas data est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales velut gymnasticen publice profiteantur.

Summo academiae magistratu nunc fungitur
Augustus Guilelmus Dieckhoff. Theol. Dr.

Praesidet ordini Theologorum **Carol. Frideric. Noesgen,** Theol. Dr.
Iurisconsultorum **Franciscus Bernhoeft,** I. U. Dr.
Medicorum **Albertus de Brunn,** Med. Dr.
Philosophorum **Fridericus Leo,** Phil. Dr.

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010